# Literæ Senatus Regni Poloniæ ad Imperatorem Romanum

Teka N... 89. Ex collect. Pistorii, t. III. Ex mss. bibl. Zaluski, 397.

Sacra Cæsarea Majestas, Domine Domine Clementissime. Faciendum putavimus, ut Sacram Cæsaream Majestatem Vestram, pro ratione vicinitatis et officii nostri, certiorem faceremus de iis, quæ proxime præteritis diebus apud nos acciderunt. Quanquam ea minime ignota sunt Sacræ Cæs. Majestati Vestræ, quinimo certo scimus, Serenissimum Regem nostrum ditiones Sacræ Majestatis Vestræ intrasse, non satis pro Regia dignitate, paucis duntaxat comitum. Qua ex re Sacra Cæsarea Majestas vestra facile intelligere potest, Serenissimum Regem nostrum præter scitum et opinionem nostram e Regno discessisse: nam Cæsarea Majestas Vestra non ignorat, qua fide et observantia nos Principes nostros prosequi soleamus, neque hunc Serenissimum Regem nostrum debito honore privaremus, si cum scitu et consilio nostro eam profectionem instituisset. Subsecuti sunt et Officiales Regni, et insequendo Plezinam ultra, oppidum Domini Premniz ditionis Majestatis Vestræ processerunt: sed ab instituto suo nulla ratione se revocari passus est. Reliquit quidem sua Majestas Literas ad nos, quibus hoc Regnum nobis commendat, et causas explicat, quam ob rem nos celaverit de profectione sua: nimirum, ut Serenissimam matrem, patriam, et Regnum illud florentissimum ab interitu vindicaret. Sane, ut primum de morte Christianissimi Regis Galliarum fama apud nos increbuit, et successionem ad Serenissimum Regem nostrum devolutam esse, ne in eo quidem, quod illi naturaliter et hæreditative obtigit, Serenissimo Regi nostro obesse voluimus: nam et de periculis omnibus, de salute et commodis Regni illius, non minus, quam de nobis ipsis cogitationem susceperamus, communicatisque consiliis de rebus omnibus statueramus providendum, adeo ut nullum Serenissimus Rex noster fidelium subditorum officium in nobis desideraret. Sed ejus rei culpa hæret non tam penes excelsum, et vere regalem ipsius animum, sed penes eos, qui eum privato consilio ad hoc factum impulerunt. Ex quibus omnibus Sacra Cæsarea Majestas Vestra pro sua prudentia judicare poterit, discessum hunc Serenissimi Regis nostri his temporibus accidisse, quibus maxime ab hostibus Christiani nominis ex minima occasione metuenda sit omnis periculi suspicio in hoc Regno potissimum, quod est quasi pro aliquo præsidio christianis provinciis collocatum, quæ quidem pluribus verbis Sacræ Cæsareæ Majestati Vestræ scribimus, primum ad removendam prætermissi officii erga Serenissimum Regem nostrum culpam, ne quis in eo nos deliquisse arbitraretur, deinde vero, ut Sacram Cæsaream Majestatem Vestram ad eam fœderum et pactorum communionem, quæ Majestati Vestræ cum Regno Poloniæ intercedit, invitaremus, rogantes, ut quemadmodum sancte et inviolate hactenus ea coluit, ita et nunc ea observare non desinat.

Porro

Porro negotium hoc omne S^ae^ Cae^sare^ae Mtti V^rae^ ita commendamus, ut nulli magis unquam commendare possimus. Nam ut nollemus invitum quemquam nobis imperare, ita non libenter videremus, nos tales existimari, qui nesciamus officio nostro uti, et voluntates Principum moderari. Non deest nobis animus pro dignitate et libertate nostra quaevis consilia habere: Sed Polonorum semper fuit Reges et Principes suos colere, revereri, et honestis potius, quam externis studiis et officiis eos prosequi. Quod reliquum est, nos, studiaq[ue] nostra S^rae^ Caes^areae^. Majestati vestrae commendamus. Datum Cracoviae, 21. Junii, 1754.

Ejusdem S^rae^ Cae^sare^ae Mtti V^rae^ addictiss. Servitores, Senatus Regni Poloniae Cracoviae congregatus.

Jest w Bibl. Zał. N^o^. 397. Lecz pod datą 18 Junii